

L. D. B. V.

# LEMMA MEDICA,

SUB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFGANGI  
VVEDELII,

HÆREDITARII in *Schwarzau*

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI  
CÆSAREI, CONSILIARII ET ARCHIATRE  
DV CALIS SAXONICI, THEORETICES  
PROFESSORIS ORDINARII,

PATRONI, PRÆCEPTORIS ET PROMOTORIS SVI  
OMNI PIETATIS ET HONORIS CULTUÆTATEM PROSEQUENDI,  
PVBLICÆ PHILIA TRORVM DISQVISITIONI

SUBIECTA

NICOL. CHRISTOPH. BEZOLDO.

Rotenburgo- Franco,

*IN AUDITORIO MEDICO,*

Horis antemeridianis consuetis,

a. d. Januar. Anno M DC XCIX.

JENÆ

TYPIS CHRISTOPHO I KREBSII.

DEO,

PATRIAE

PROXIMO.



I. N. I.

## LEMMATA MEDICA.

§. I.

**N**aturæ quocunque modo af-  
flictæ omni modo possibili,  
ad eius ductum ac normam,  
ferendæ suppetiæ.

2. Medicus naturæ minister, me-  
dicina naturæ sacrarium, subsidium  
& stabilimentum est.

3. Nec homo carere medicina,  
nec sui ipsius, sibi relictus, medicus  
esse proprio nutu & ductu potest.

4. Posita machinæ vitalis, eiusque  
partium integritate, in qualitate,  
quantitate & motu debito fundata,  
ponitur sanitas. A 2

5. Sa-

5. Sanitas, corporis summum bonum, e rerum naturalium constitutum integritate & libertate resultat.

6. Machinam corpoream actuat & mouet anima mediantibus spiritibus.

7. <sup>Eukœcota</sup> seu Temperies legitima, præcipuum sanitatis columen, in primis attendi a medico meretur.

8. Sanguis calidum, serum humidum, elementa hominis, utrumque vitam varie dispensat, & diuersa mixtura diuersum motum fortiturn.

9. Quo alterato morbus fit & sanitas consistere nequit, merito investigandum & attendendum.

10. Facientibus singulis partibus,

bus, quæ ipsis facere incumbunt, sanguum est corpus.

ii. Facultates, spiritus & actiones habent suam sphæram, symbolum, & præsidentia radicalia viscera, seu culinas.

12. Facultas est potentia prima, spiritus & organa secunda, illa efficiens, hæc instrumentalis.

13. In corpore humano intus vigilatur & extus.

14. Homo ut cogitet & ratiocinetur, vtitur sensibus idearum exploratoribus & collectoribus.

15. Sensus externi internis struunt viam & præbent materiam quoad ideas, propter hos facti, & ad eos relati.

16. Omnis motus animalis fit stri-

Etura ætheris subtilis lucidi, impen-  
si in spiritibus animalibus, & huc il-  
luc directi.

17. Alteratio quælibet in corpo-  
re humano eiusque partibus ad ita-  
tum præternaturalem morbosā  
est.

18. Impotentia & alteratio mor-  
bosā, seu læsio compare ad indi-  
viduum, speciem, totum, partes, ad  
leges naturales geometricas seu  
mechanicas æstimanda.

19. Ex quibus viuimus & nutri-  
mūr, ex iisdem quoque ægrotamus  
& morimur.

20. Quæcunque partibus corpo-  
ris alterationem, remoram pere-  
grinam, vel noxam inferre queunt,  
morbos inferunt.

21. Ma-

21. Machina humana diuersimode alterabilis tot causas agnoscit morbificas, quot alterantes intus & extra ipsam dantur.

22. Quodcunque in corpore occurrat morbos, in toto, vel in parte, ut cunque explicetur, in humoribus eorumque modis inuenit vehiculum.

23. Distincti morbi distinctum statum machinæ & viscerum supponunt, fixorum, rarefactorum, aliisque modis peccantium.

24. Sanguinis κίνησις & σύστασις vitiata plurimorum morborum causæ fiunt, & hæ inde explicari queunt.

25. Dato uno inconuenienti morbos, dantur plura in corpore, seu effectus & phænomena non una.

26.

26. Deficientibus visceribus in officio suo male habet corpus, colliguntur succi vitiosi, & nidi struntur morborum.

27. Quæ causæ sunt actionum in statu naturali, illæ & vitiæ symptomatum.

28. Vitia sensuum vel organi vel spirituum culpa, causa vel in subiecto vel aliunde, fiunt.

29. Ut sensum & motum vnicē dispensant spiritus, ita in quocunque illorum statu morboſo etiam quoad causas omnino ad hos respi ciendum.

30. Semina morborum pro diuersis nidis varia excludunt symptoma.

31. Indicia sanitatis, morbi, cau farum,

farum, subiecti, dicuntur signa seu phænomena.

32. Morbi & temperamenta debent per sua signa seu phænomena dignosci.

33. Inter alia signa spectanda etiam est vrina, & qualis sit f. n. & p. n.

34. Qualis coctio, talis vrina, quale serum & sanguis, talis vrina.

35. Vrina statum humidi, ventris infimi, facultatis naturalis testatur.

36. In motu & calore consistit vita.

37. Pulsus magis statum calidi, ventris medii, facultatis vitalis testatur.

B

38. Pul-

38. Pulsus principaliter ex systole, seu constrictione expulsius, adæquate ex diastrole iudicandus.

39. Quæ nocent, docent, quærendo informamur.

40. Non solum nosse oportet morbum, sed & eius nidum, fomentum & producta.

41. Auguria medica curationis sunt pyxis nautica, ex agentis & patientis testimoniosis probe interfibratis capienda.

42. *κείσις* est iudicium prognosticum, ex motibus naturæ, in morbis euidentum respective inferens vel æstimans.

43. Excretionem quamcunque mo-

moliente natura in febribus , vigi-  
landum est medico.

44. In calidi , quo vivimus , &  
humidi, quo nutrimur, tutamine le-  
gitimo conseruatur sanitas.

45. Diætæ regimen, vnicuique  
ætati & individuo proprium ac con-  
gruum, tum ordinandum, tum pro-  
fequendum.

46. In usu rerum nonnaturalium  
omnium medio tutissimus ibis.

47. In usu rerum nonnaturalium  
quarumcunque omnia illuc diri-  
genda , vt corpus maneat illæsum,  
læsura vitentur , vel corrigantur.

48. Læsioni cuicunque corporis  
suum ex affectionis modulo pru-  
denter applicandum remedium.

49. *Omnium morborum panacea & actionum famæque medici scutum est methodus medendi genuina.*

50. *Sanguis & serum, aliique humores archeo onerosi vel incongrui, non uno modo & respectu educendi & dispellendi.*

51. *Archeus vniuersalis & particularis roborandus tum per se, tum si vndectinque vacillet grauius.*

52. *Roborant archeum non solum analeptica reliquis subordinata, sed & imprimis vrgent periculo debita.*

53. *Quæ manu expediri vel instrumentis queunt, tum per se, tum in subsidium reliquorum sunt necessaria.*

54. Chi-

54. Chirurgiæ officium:

Igne, manu, ferro, mediisque sa-  
lubribus extus

Colligo, conformo, diuido mem-  
bra, traho.

55. Medicamentorum vires ex  
qualitatibus penitus eruendæ, & ad  
experienciæ normam hinc pruden-  
ter applicandæ.

56. Proportio inter calidum in-  
natum medicamentorum & cali-  
dum innatum humanum ex modis  
materiæ & effectibus iudicanda.

57. Pro diuersa locatione, textu-  
ra, figuraione, & sic qualitate parti-  
cularum, diuersimode etiam exte-  
rius afficiuntur a medicamentis  
partes.

58. Parietes, pori, humores profusum indicantium varie remediis congruis componi, laxari, adstringi &c. postulant.

59. Indicationi specificæ, temperiei itidem & poris, morbisque hinc partium specificis consultius specifica assignantur medicamenta.

60. Archeo particulari partium organicarum, mediante vniuersali, succurrunt actionem eiusdem determinantia.

61. Purgantia & vomitoria medicamenta vniuersalia, & inter haec magis actiua, provide feligenda & applicanda.

62. Bilis, pituita, & onerosa alia corrigi nescia, per vias publicas

cas, quo vergunt & licet, exturbanda.

63. Nimium magis offendit, quam parum, medio tutissimus ibis.

64. Et extra culinas viscerum, primasque & extimas vias, sanguinis & feri vndæ varie moderandæ.

65. Pro indicationum modulo modo freno coercenda natura, modo stimulo excitanda & confortanda.

66. Ars naturam tum aliis modis exquirit, tum in expromendis viribus & <sup>εγχειρός</sup> debita medicamentorum.

67. Pharmacia materiam medicam

dicantum *συγκέντως* & *Διακέντως*, tum mixtione artificiosa vſibus corporis aptat.

68. *Σύγκενεσις* vniendo, & *Διάκενεσις*, separando vtilia ab inutilibus, fit vel confractione particularum grossiori, vel igne, vel menstruo.

69. Mixtio artificiosa concinna combinatione mole & virtute similiūm absoluitur.

F I N I S.

